

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Anthropologia Anatomico-Physica**

**Baumer, Johann Wilhelm**

**Francofurti, 1784**

**VD18 11680695**

Cap. XXXXVII. De integumentis communibus, eorum annexis, atque  
excretione cutanea.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-16622**

## §. VIII.

Lotium in vesica collectum illam expan- <sup>Eius</sup>  
dit, pressuque, eam emittendi tempus <sup>excretio.</sup>  
adesse, admonet, sphincter laxatur, muscu-  
lares vesicæ urinariæ fibræ se contrahunt,  
ac urethra a musculus transversalibus, ab  
offium ischii tuberculis venientibus, ac  
triangulari ab ani sphinctere ad illius bul-  
bum abeuntibus, dilatatur, lotiumque ex-  
pellitur; quo factò, vesicæ orificium sphin-  
cter iterum obturat, ac muscoli bulbo ca-  
vernosi, urethram constringentes, lotii re-  
liquias expellunt.

## CAP. XXXVII.

*De integumentis communibus, eorum  
annexis, atque excretionem cutanea.*

## §. I.

**S**ub cute in plerisque locis tela cellulosa, <sup>Integu-  
menta  
commu-  
nia.</sup>  
innumeris loculamentis inter se com-  
municantibus constans, sero arterioso ac  
pinguedini recipiendis, destinata & cum  
tela cellulosa musculorum connexionem  
habens, deprehenditur, quæ, ubi pingue-  
dine repleta est, *panniculus adiposus* di-  
citur. Panniculus carnosus, si a musculo  
colli latissimo recesseris, non nisi brutis  
concessus est. *Cutis* est membrana ro-  
busta, crassa, expansionem admittens,  
elastica, ac totum fere corpus inve-

ftiens, ex fibris tendineis, lanæ coactæ instar, mire implexis, vasis sanguiferis, ferros, cryptis cutaneis ac papillis nerveis copiosissimis, compacta est. Mucus ei incumbens in aqua solubilis, in spiritu vini coactilis, in Europæis albus, in Aethyopibus niger, *vetis mirabilis Malpighii* nomine venit. Membrana tenuis, squamosa, sicca, insensilis, vasculis nervisque destituta, aëri inviolabilis, tritu crassescens, cuti ex-  
 rus superinducta, *cuticula*, vel epidermis, dicitur, vid. *Christ. Gottl. Ludwig* diff. de cuticula Lips. MDCCXXXVIII. Vid. *Dn. Baud* de structura cuticulæ & cutis in observationibus ad physicam & histor. natur. spectantibus, a *Dn. Rozier* collectis tom. II. p. XXIII Paris. MDCCLXXII.

*Obs.* In cute arteriolæ reticulatim, in tela cellulosa arbuscularum instar dispositæ sunt. Vid. *Frid. Ruyschii* thesaur. anat. maximus p. II. & XV.

## §. II.

*Eorum  
 usus.*

Partium solidarum mollium, membranarum ac tendinum structuræ atque connexioni, vasculorum ac nervorum decursui tela cellulosa inservit; serum arteriosum ac pinguedinem recipit. Panniculus adiposus cutim suffulcit, & partes adiacentes lubricat ac fovet. Cutis externas corporis partes involvit, eas in situ detinet, venustati inservit, organum tactus, ac universale materiæ perspirabilis, ac feri, in cryptis cutaneis collecti, emunctorium est. Epidermis

cuti papillulisque nerveis involvendis defendendisque, earumque actionibus moderandis destinata est. Vid. *Jo. Maur. Hoffmanni* diff. de cuticula & cute, Altorf. MDCLXXXV.

§. III.

Ad cutis historiam folliculi cutanei, pili <sup>Folliculi cutanei.</sup> atque unguis pertinent. Isti, vel sic dictæ glandulæ sebaceæ in plurimis corporis locis, maxime ubi se nudum offert, vel frictio maior est, cellulosa subcutaneam occupant, pluraque vascula serosa in folliculum suum recipientes, cutimque ductu suo excretorio perforantes, humorem seroso-pinguem fecernunt, atque integumenta communia humectant.

§. III.

In tela cellulosa subcutanea ex folliculo <sup>pili.</sup> cutaneo aut bulbo, vascula serosa minima nervorumque ramulos recipiente, & cellulosa medullam succumque diversi coloris continente, pili prodeunt. Illorum autem cellulosa medulla per omnem pili longitudinem extenditur, ac epidermide, vaginæ in modum, amicitur. Corruptioni quam diutissime resistunt, ac pinguedine exhalante madidi strias luminosas subinde emittunt. Usus eorum est, ut partes foveant, a frictione defendant, ornent, ac pinguedini exhalanti viam pandant.

T

## §. V.

*Ungues.*

Ungues, paullo ultra extremam digitorum articulationem inter cutis stratum interius, cum periosteo mixtum, quadrata radice orti, ex fibrarum longarum fissilium, induratarum ac glutine iunctarum, stratis facti sunt. Ad radices nondum induratas læsi vehementissimum dolorem excitant; iniuria interna vel externa ablati, cæteris paribus, intra bimestre spatium iterum renascuntur. Papillas nerveas defendunt, tactui præsent, apprehensionis robur augment, ac aliqualem defensionem præstant.

## §. VI.

*Excretio periph-  
rica.*

In cute innumerabiles arteriolæ, a partibus vicinis excurrentes, ubique reperiuntur, ex quibus vascula serosa subtilissima ortum ducentia in cuticulæ poros hiant, atque incredibile dictu est, quantum materiæ perspirabilis per invisibilem excretionem periphericam, vel transpirationem Sanctorianam, vel per visibilem diapnoën, atque diaphoresin vel sudorem quotidie e corpore eliminetur. Materia hæc, madoris, saporis atque odoris testimonio, subtilissima, aquosa, salina & pinguis est. Nonnunquam etiam alimentorum, miasmatis morborum ac pharmacorum odores in transpirationis materia distingui possunt, atque interdum circa animalia sudantia noctu atmosphæra lucens observatur. Sudori liquor seroso-pinguis folliculorum cutaneo-

rum admiscetur; hinc in capite, sub alis, circa partes genitales, atque inter pedum digitos, ubi eiusmodi folliculi copiosiores adsunt, odorem graviolem, quam in aliis locis, spargit. Vid. *Sanctorii* aphorismi de medicina statica, Venetiis MDCXIII. MDCXXXIII. MDCLX, & MDCLXX. Lugd. B. MDCXLII. Hagæ Comit. MDCL. & MDCLVII. Lond. MDCCI. Lips. cum notis *Andr. Ridigeri* MDCCLXII.

## §. VII.

Ea ope perspirationis excreti, humo-<sup>Quantitas</sup>ris quantitas est, computatis simul, quæ <sup>& modi.</sup> sub expiratione ex pulmonibus abeunt, ut quinque fere assumptorum partes hac ratione excernantur; pro ætatis tamen, sexus, temperamenti, climatis, aëris, anni temporum, vitæ generis, motus ac quietis, alimentorum, munditiæ, aliarum excretionum, morborum ac pharmacorum ratione, respectu quantitatis ac qualitatis excretio hæc differt. *Hippocrates* l. de alimentis §. VI. qui probe, inquit, perspirant, debiliores, sed saniores sunt: qui male perspirant, priusquam ægrotent, valentiores sunt; ubi autem ægrotarunt, difficilius ex morbis convalescunt.

## §. VIII.

Salutarem hanc, & quam maxime ne-<sup>Eius ad-</sup>cessariam, excretionem animus quietus ac <sup>minicula.</sup> hilaris, aër serenus, ficcus, calidus, diligens corporis motus, stragula ac vestimenta

aëris temperiei accommodata, somnus sufficiens, cibi evpepti, aromatibus conditi, potus dilutus levis, calidus, vinum generosum, pharmaca volatilia cum grano salis adhibita, frictiones ac balnea tepida iuvant; horum vero contraria illi impedimenta ponunt.

## §. VIII.

*Eius usus.*

Transpirationis usus non eo solum redit, ut humoribus excrementitiis agillimis, acribus, ac quam maxime noxiis, corpus purgetur, & sic cacochymiae, spasms, febribus aliisque morbis causa præripiatur; sed etiam ut corporis superficies, aëri exsiccanti exposita, perpetuo humiditatis affluxu lubricetur, ac flexilis fervetur, nec non ut papillae nerveae, sub epidermide in cute latentes, sentiendi aptitudinem retineant.

## §. X.

*Viscerum exhalatio.*

Ad perspirationem illa quoque merito referuntur, quæ ex viscerum superficie continuo exhalant, & quæ cum aëre inter respirationem emissâ, vel in primarum viarum canali collecta sub flatuum vel seri forma excernuntur. Materiae huius perspirabilis beneficio viscera madefiunt, eorum mollities, atque ad agendum facilitas, conservantur, contractio vero atque concretio impediuntur.

## §. XI.

*Humorum resorptio.*

Materiam perspirabilem, humores serofos, aliaque liquida volatilia, tam in cor-

poris peripheria, quam ex variis eius cavitatibus a vasis resorbentibus ex parte iterum resorberi, atque humorum circuitui reddi, ex variis phænominis physiologicis ac pathologico-therapeutis colligere possumus; adeoque totum corpus exspirabile ac inspirabile esse, Hippocrates recte iudicavit.

## CAP. XXXXVIII.

*De partibus solidis.*

## §. I.

**P**artes solidæ lineares simplicissimæ lineæ *Fibræ.* rum nomine veniunt, quæ adeo subtiles sunt, ut non nisi maiores, vel iam compositæ, sub sensu cadant. Illas ex particulis terreis glutine, seu aqua ac pinguedine, inter se cohærentibus structas esse, earum exustio, putrefactio, ossium gelatina sua privatorum friabilitas, ac pilorum exustorum oleo vel aqua humectatio evincunt. Simplicissimæ hæ corporis animalis partes omnium reliquarum constructioni inserviunt. *Dn. Jo de Gordev* in medicinæ compendio tract. XVIII. §. XXVIII. fibras omnium primas arteriolarum nervulisque continuas esse, arbitratus est. Ubi fibrarum partes tanta vi cohærent, ut vim proportionatam, sine solutione, ferre possint, robore naturali gaudent, & ubi earum figura, vi externa mutata, cessante huius actione,